

Sit omnibus notum quod nos Rogerius de Montecateno Dominus Castrorum de Melano et de Valle fecunda attendentes vos Petrum de Castroveteri Parrochia Sancti Juliani de Valle fecunda habere quendam Molendinum quem longo tempore vos et antecessores vestri habuistis et tenuistis de quo Molendino non habetis titulum neque instrumentum; idcirco per nos et nostros firmamus et ratificamus vobis dicto Petro de Castroveteri et vestris perpetuo dictum Molendinum cum aquis vicinis et omnibus aliis in dicto Molendino pertinentibus, et pertinere debentibus et necessariis et prout vos et Antecessores vestri tenuistis et posseditis et antiquitus tenuerunt et possiderunt: ac etiam confirmamus vobis dicto Petro de Castroveteri et vestris perpetuo mansum de Barruga dictae Parrochie prout vobis iam fuit stabilitum cum publico instrumento prout in eo lasciis continetur itaque quod vos nec vestri unquam teneamini pro dicto Manso facere Stichum neque homines vel feminas neque alias servitutes personales sed in recompensationem hominum vel feminarum et aliorum iurium personalium teneamini facere nobis vel nostris quolibet anno perpetuo in festo omnium Sanctorum duodecim denarios prout iam faciebatis ante huius instrumenti confectionem et etiam teneamini facere et solbere quolibet anno in dicto festo omnes census agraria et partes expletorum et omnia alia ad quae dicitur

Mansus facere tenetur nobis et omnibus aliis quæ ibi cen-
sum vel alia recipiunt in dicto manso: ac promittimus omnia
et singula supradicta rata et firma habere tenere et nunquam
contra facere vel venire intelligi sive causa sic melius et utilius
dicta intelligi per et ad vestrum vestrorumque commodum
et bonum intellectum. Actum est hoc nona die mensis
Januarii anno à nativitate Domini millesimo tercenter-
simo septuagesimo nono. Signum nostri Rogerij de Mon-
tecateno predicti qui hæc firmamus et laudamus. Testes
hujus rei sunt venerabilis Franciscus de Sancto Vincen-
tio de Mictis et Franciscus de Costa Rector Ecclesie de Melano.
Signum Berengarii de Montecurbo Vicarii et Bajuli Vallis
fecundæ qui hoc firmo. Signum Petri Guillelmi de Valle
Capellani Capelle Beate Marie Vallisfecundæ et no-
tarii publici dictæ Vallis et Montaniorum de Melano qui
hæc scripsit et clausit.